

V
B J
C



Sepulchri.

poezya.

Golecki Alex: In pervetustae Basilicae Miechoviensis sacrosancti Dominici Sepulchri instaurationem — carmen. 1791.

IN
PERVETUSTAE BASILICAE

MIECHOVIENSIS
SACROSANCTI DOMINICI SEPULCHRI

INSTAURATIONEM

Alexandri Solecki Canonici Regularis Hierosolymitani, Curati Urzejovicensis ad Premisliam Galliciae.

CARMEN.



Superiorum permissu

Cracoviae. Typis Antonii Grebel Anno MDCCXCI.

Quis in vobis est derelictus, qui vidit Domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Magna erit gloria Domus istius novissimae, plus quàm primae.

Aggaei Cap: II. V. 5. & 10.

Ergo dum novam constructionem sanctae hujus Ecclesiae libenter attendi-nus, ... invenimus à nobis, deberi, & Deo nostro maximam laudem, & ongruum de Divinae Domûs aedificatione sermonem. Principaliter ergo gra-ias agamus Domino Deo nostro ..., quoniam ad construendam Domum istam rationis, Fidelium suorum ... excitavit affectum, surrogavit auxilium ... Adhuc autem amplius agendae sunt gratiae Deo nostro. Hanc enim Eccle-siam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam Sanctorum Martyrum Re-iquiis amplius honorari.

S. Augustinus Serm: 256. de Tempore.

Condidit Henricus, (a.) cumularunt caetera Patres,
Sors quaecunque fuit, saecula quinque steti.
Diripuit quoties hostis? quotiesque flagravi?
Et quis non nobis insidiatus erat?
Extremum perii crudelibus ignibus halans,
Et cinis est hodie, qui fuit ignis heri.
Cur tamen impatiens causem mea fata vicesque?
Si modo cultura splendidiore feror.
Unica sic Avium (Assyrii Phaenica vocarunt).
Ignibus & cineri fit rediviva suo. (b).
Quid lacrymis Jacobe (c.) luis miserabile Templum?
Ustaque deploras tecta laresque tuos?

Sic

(a.) Primum in Miechoviensi solo Templum stetit ab Anno 1160. cura Martini Galli Canonici Hierosolymitani, (cujus nomine res antiquissimae Polonorum scriptae circumferuntur, quarum manuscriptum Varmiensium Dux & Episcopus Grabowski ex Bibliotheca Miechoviensi in suam Heilsbergensem translatum, typo dedit) Matthaeo Pontifice Cracoviensi Delubro sacro primum lapidem imponente; Boleslao Crispo summo Principe Polonorum operi favente; Jaxa Gryphio Comite de Miechow largissima subsidia ferente. Humilibus quidem & angustis muris, pro more temporum illorum, quadro & tabulato ab intra, cocto vero ab extra lapide extructum. Sed Henricus Quintus in Ordine Praepositus Miechoviensis circa Annum 1233. majori commodo Gentis fidelis devotionis ergo ad veneranda sacra pignora huc ab Hierosolymis translata confluentis, videns angustiam prioris illius Templi, aliud longe augustius excitavit, Vislao Episcopo Cracoviensi lapidem fundamentalem sacrante; Innocentio vero Papa IV. Indulgentias in Anniversarium Dedicationis ejus diem largiente.

(b) Una est, quae reparet, seque ipsa reseminet Ales,
Assyrii Phaenica vocant . . . .
Haec ubi quinque suae complevit saecula vitae,

Sic erat in fatis! Opus est peritura perire;
Illusit quoties sors quoque dura Sacris.
Cerne superbificum Salomonis dives ab auro
Templum, quô nullum sanctius Orbe fuit.
Heus quoties arsit? periit? quotiesque revixit?
Nunc quoque, si explores, vix locus esset ubi!
Nil constans habet Orbis, habent nil maxima rerum
Facta; Virûmque labor disperit, aut teritur.
Dic ubi nunc Mundi septem portenta tumentis?
Aeternaeque Urbis prodigiosa strues?
Vicit ut haec Mundum, passa est se denique vinci,
Invictum fragili ne quid in Orbe foret.
At tua Te meliora manent Jacobe, tuosque
Fata Viros. Nondum res tua succubuit.
Imo age, fabor enim quando haec Te cura remordet,
Pulchrior a casu hoc, mox erit alma Domus.
Nempe ubi nunc pullo squallet sub pulvere moerens,
Et turres altae, ruptaque saxa gemunt;
Exsurget tandem pulcherrima pegmate celso,
Vicinumque polo tollet in astra caput.
Tu dabis ipse novam compagem moenibus altis,
Illiusque sinu funera habebis ovans. (d.)

Nam

Se superimponit, finitque in odoribus aevum,
Fertque pius cunasque suas patriumque sepulchrum.
Ovidius Metamorph: Lib: XV.

(c.) Omnium equidem maximo luctu & clade, sed imprimis JACOBI RADLINSCII Generalis Praepositi, Civitas Monasterium & magnificum Templum miserabili admodum periit incendio, Anno Christi MDCCXLV. Die 19. Aprilis, quae fuit altera sacri Paschatis dies.

Nam tua, qui excipiet Florianus signa decusque,
Atria pulchra dabit, splendida tecta dabit. (e.)
Illeque succumbet. Meus at Matthaeus, ut illum
Constituent Coetus Numina cara Patrem
Sumptibus immensis dabit in fastigia molem,
Ingentisque operis gloria finis erit. (f.)
Scilicet inter tot curas, summosque labores,
Miechoviae Templum prima Parentis erit.
Ruderibus purgabit atrum niveumque colorem
Induet hûic, quali nobile fulget ebur.
Appendet mediis in moenibus aurea priscae
Simbola Virtutis, Stemmata sancta Ducum (g.)
Hinc Aquilas Regum Patriae, Fideive Domorum
Altrices, Gryphem magnanimumque leges.

JAXAE,

(d). Postquam parietum columnarumque interioris Templi structuram JACOBUS eduxerat, obiit placidissimam mortem Die 3. Januarii, Anno Ordinis saeculari sexies in Polonia evoluto, Christi MDCCLXII., veterique ejusdem Templi illatus Sepulcro.

(e.) JACOBO, FLORIANUS BUYDECCIUS successerat, qui integro, quô praefuit triennio, Templum lateritio tecto; Turrim minorem aere contexerat; Porticum insuper elegantissimam, sed inchoatam duntaxat addiderat. Caeterum dum haec meditatur agitque, praeclaris conatibus immoritur Kalendis Augusti, Anno MDCCLXV.

(f.) MATTHAEUS GASPAR BUYDECCIUS, ex quo primariam Ordinis Praefecturam est consecutus, perficiendo ornandoque Templo, omnem usque adeo impendit operam & elegantiam, ut illud inter nitidissima & pulcherrima Poloniae Templa haud immerito reponi debeat.

(g.) Inter caetera monumenta gratitudinis, quibus erga Benefactores Majores nostri usi sunt, ea quoque singularis eorum pietas fuit, ut appositis in veteris Templi praecipuo Sacello eorumdem Stemmatibus, memorem ipsis

JAXAE, qui primus CUSTODES intulit oris
Poloniae, haecque illis sacra stativa dedit. (h.)
Prima tibi occurrent Sapientis Principis arma,
Aurea saecla vovent Clavibus & Aquilis. (i.)
Ille Sacer Poniatovius hic te cernere Taurus,
Pacis & Imperii prospera signa jubet;
Qui Coelis rutilum addidit inter sidera lumen, (k.)
Remque Polonorum Numinis auget ope.
Sic firmat Stanislaus Augustus Sacra Divorum;
Sic Patriae Patri, terra polusque litat.
Novit Matthaeus, quà Rex pietate niteret,
Cujus sub Sceptris tot monumenta starent (l.)
In Templo nostro, quae fulgent Stemmate Regis,
Et Procerum signis: Tessera grati animi.
Fas est Poloniae quando res salva resurgit, (m.)
Matthaeum Vatem post sua fata canas. (n.)

Caetera

semper testarentur animum. Eorum longam seriem exhibuit Samuel *Nakielscius Classe 1ma Miechoviae Pag: 63.* Nunc quoque pleraque ex his, sed alio cultu, loco, & magnificentia, visuntur.

(h.) JAXA Gryphius, illustris olim Ducum Serbiae propago, Comes in Miechow, cum Anno circiter MCLX celebrem illam militaremque ad Sepulchrum Domini instituisset peregrinationem, redux è Terra Sancta, unum de Canonicis Sanctae Patriarchalis Hierosolymitanae Ecclesiae Martinum Gallum secum devexit Miechoviam; Unde Canonicorum Custodum Sepulchri Christi per Poloniam vicinasque Provincias origo & Coloniae.

(i.) Rex Sapiens STANISLAUS AUGUSTUS aequo animo Cleri atque Civium iura tuetur.

(k.) Taurus Poniatovianus collocatus est inter Constellationes ab Astronomis.

(l.) Ecclesia Miechoviensis restaurabatur potissimum temporibus felicissimi Imperii STANISLAI AUGUSTI.

Caetera per circuitum stabunt tabulata nitenti
Auro, & per dociles effigiata manus.
Marmoribus constrata suis vestigia Templi;
Magnorum Patrum prisca Sepulchra tegent.
Ipsa repercusso radiabit lumine moles,
Undique cristallis lucida, pura, nitens.
Nam quà oritur Sol parte, nitet, quaque occidit, ardet,
Dixisses spectans: Regia Solis erit.
Justitiae sane. Nam quanta est, quanta nitescit,
Numini id à tanta mole paratur opus.
Quippe Aras Divûm pretioso schemate celsas;
Per latus utrumque hic, indeque constituet.
Hac Deus atque hominum Rex nostra carne jugatus,
Lugubri Effigie, (Nam morientis erit) (o.)

Expansus

(m.) Regeneratio Gentis Polonae Parentis Patriae STANISLAI AUGUSTI Sapientis opera, accidit Die 3. Maji Anni currentis 1791. ob Leges sancitas, quae uti divinitus inspiratae & Rei-Publicae perennem felicitatem adserentes, benedictionibus Sedis Apostolicae, cumulantur, & ab universis Europae populis summis laudibus extolluntur.

(n.) MATTHAEUS BUYDECCIUS Praepositus Generalis Miechoviensis diem suum obiit ad exitum Anni 1787. Non conspexit oculis praesentem felicitatem renascentis Patriae, eam tamen sub Rege optimo STANISLAO AUGUSTO omnino futuram longe ante vaticinatus est. *Lege & confer cum gestis praesentibus Panegyricas lucubrationes nomine Canonicorum S. Sepulchri Typo, excussas; Alteram in Diem Coronationis Regiae 1764: Alteram pro Gabriele Junosza Podoski Nominato Primate ad Stanislaum Augustum Regem, Oratore Cyrillo Zuchowski Canonico ejusdem Instituti Anno 1767; Et postremam pio Carmine cantatam in exoptatum Adventum Regis Metropolim Cracoviae 1787.*

(o.) De hac admiranda Effigie uberius infra.

Expansus toties dabit & renovabit acerbam
Calvariae scenam, funera, flagra, Crucem.
O quoties teneras oculis spectantibus undas
Exprimet haec, & atri scena doloris erit!
Ast illam, quam Sol summo Aram prospicit Axe,
Laeta petet, rosea & sede recumbet ovans,
Ingenitae Prolis Genitrix & Regia Virgo, (p.)
Supplicibus magnis dona datura Dei.
Hic quoque Constantii praeclari Martyris ossa (q.)
Virginis infra Aram conspicienda aderunt,
Et cruor exsiccus vitro: spectabile donum
Roma tuum: Templi nunc decus & pretium.
Mox operis magni fulgens caput atque coronam,
Perficiet princeps Ara stupenda Dei.
Vertice nam celso sublimibus alta columnis,
Attinget summos exspatiata tholos.
Umbilico dabit illa thronum & regalia strata,
Queis recubet tenera nube latens Dominus.
Sexque operis nitidi solidata argentea fulcra,
Virgineae cerae luce cremanda feret.

Hoc

(p.) Memorabilis quoque haec sacra Icon est: stylo, cultu, lineamentis, celebrem illam, quae Clari-Montis ad Częstochoviam gloria & tutela est, apprime per omnia referens. Opus antiquum, elegans, ac mira quadam gravitate stupendum. Et ne prototypo qua ex parte cederet, gratiis quoque & cultu hominum frequens. Traditio est inter clenodia splendidissimae Domûs Pilavitarum, eam olim peculiari religione fuisse habitam.

(q.) Sacrum Corpus Constantii, Christi Martyris, extractum ex Caemeterio Calisti jussu Benedicti XIV. P. M. Anno MDCCXLIII. Die 26. Novembris, donatum venerabili Ecclesiae Miechoviensi Anno MDCCXLV. Die 7 Septembris. *Confer Synopsim Jacobi Radlinscii. pag: 192.*

Hoc Tibi Christe, cava qui olim de rupe redisti,
Artis & ingenii grande dicabit opus.
Fortunata Domus! superis si haud aemula tectis,
Apta sed in terris, quam Deus incoleret.
Hûic ego non metas rerum, non tempora ponam,
Aeternum dures, o Domus alma! licet.
Non tu saeve Aquilo, non tu Vulcane cruentus
Attigeris quando limina tanta Domûs.
Tu potius perfla, divinisque ignibus ure,
Qui Patris & Geniti faedera jungis amor.
Latro cave, praedator abi, fuge miles avare,
Sacrilegamque manum contrahe, ne rapias.
Huc potius Gentes pergant, huc currite Cives,
Et pietate animum pascite: Summus adest
Hic Deus, & rerum memoranda insignia, sancti
Pars Tumuli, (r) vivae pars quoque magna Crucis; (s)
Spinaque crudelis, (t) quae olim magnum Caput illud
Torserat inclemens, elicuitque Rosas.
Divinae telluris opes: spolia alma Orientis,
Haec sunt, quae prisci olim huc retulêre Patres.

Aut

(r.) Carolinensis Episcopus Hyacinthus Verdesca Anno MDCCXLI. Die 10. Januarii; Thomas Severi Archiepiscopus Tricomiensis Anno MDCCXXXIV. Die 20. Augusti particulas de lapide Dominici Sepulchri Miechoviensi Templo dono obtulerant. Sed & alia istius sanctissimae Petrae fragmenta, à priscis advecta Patribus hic reperiri novimus. *Consule Muratovium pag: 740. Lib: 3. de Gloria Dominici Sepulchri.*

(s.) In Ecclesia Miechoviensi habentur duae notabiles particulae Ligni sanctae Crucis, ex quibus una est Crux efformata = *inquit Jacobus Radlinscius in Praefatt. ad Elogia Crucis. Vide & Nakielscium Miechoviae pag: 737.*

(t.) Vetus Regestrum Reliquiarum Templi Miechoviensis Spinam quoque de Corona Domini recenset.

Aut si te exanimis tangit miseratio JESU,
Illius & tristi funera mente doles;
Vestibulo Templi prostat venerabilis urna, (u)
Extinctum Dominum plangere, flere, licet.
Quot fuerant olim Solimaei ad busta Sepulcri
Custodes, alacres hic quoque pervigilant.
O quotus hic terrae defiges oscula labris!
Advectae Solymis oscula casta dabis:
Lipsana Sanctorum veneraberis officiosé,
Pignus amicitiae Carole sancte tuae (w.)
Indigetes etiam quotquot mea Patria sanctos
Edidit, illorum hic ofsa minuta latent. (x.)

O mihi:

(u.) Vetustissimum istud Fanum est, conditum opera Thomae de Ilkus XXIV. in Ordine Praepositi Miechoviensis ante Annum MDXXXVIII. Sed & primaevum Templum sub honore Sancti Sepulchri, tum Sacella & Altaria dedicata fuisse compertum habemus. *Confer Venceslaum Mirkievicium in Dissert: de de Antiquit: Officii & Solemnitatis Dominici Sepulchri.*

(w.) Peculiare istud sane est, non modo sancta, sed & à sancto Viro Miechoviense Templum habere donaria. Praestitit hoc sanctus CAROLUS BORROMAEUS S.R.E. Cardinalis & Antistes Mediolanensis, suaque manu signavit in gratiam Generalis Praepositi Miechoviensis Andreae de BATHORABIS Anno MDLXXXIV 3. Kalendas Septembris. *Consule Nakielscium Miechoviae pag: 736., ubi & Litteras Viri sanctissimi, & qualitatem Reliquiarum, reperies.*

(x) De Ossibus Sanctorum Poloniae particulas, una eleganti collectas theca, habet itidem Miechoviense Templum, ex dono posthumo JOANNIS SZEMBEK Varmiensis Principis & Episcopi. = Habet proinde Ecclesia Miechoviensis (*inquit Nakielscius loco laudato*) in quo sibi plurimum gratulari debeat, cum ,, tot pretiosissimis Sanctorum Reliquiis, velut incomparabilibus margaritis, ,, summa Dei gratia dotatam se & exornatam conspiciat, quod non cuilibet ,, Ecclesiae concessum videmus. —

O mihi si tanti fas sit contingere semper
Limina Delubri & tecta verenda Domûs!
Multa cliens venerarer ego, bene multa stuperem,
Hic operum genios, hic pietatis opes.
Praecipue magnum Coeli terraeque Jechovam,
Qui trabe crudeli saucia membra levat.
Mirandum artis opus, priscum, & miserabile magno
Excessu Domini, prodigiisque sacrum. (y.)
Nam Deus ut magnis signat miracula rebus,
Hac quoque in Effigie nonne stupendus adest?
Saepe etenim extremis colluctans viribus aeger,
Huc sua dum spondet munera, convaluit.
Saepe dolor, febres, partusque pericula Matrum
Cesserunt: Quid mors nonne fugata fuit?
Saeva lues, urensque fames, fera bella premebant,
Hac Deus afflictis Icone promptus erat.
I nunc & jactes laceri miracula mundi,
Pondus iners terrarum illa, sed ista juvant.

Mul

(y.) A tempore hominum excedente memoriam visitur ac colitur in Templo Miechoviano affabre sculpta Christi Crucifixi Effigies, quae Ejus extremum acerbumque agonem miro artificio & pietate exhibet. Eximiae altitudinis illa est & ponderis. Gratiis & miraculis celebrem tum sacra anathemata, tum frequens hominum confluxus, ac praecipua sanationum dona testantur. Inter eventus memorabiles, istud est singulare: Cum oppidum ipsumque Templum inevitabili deflagraret incendio, Anno, uti diximus: MDCCXLV., nemo unus hominum fuit, qui inter tot rerum pereuntium damna, venerandam illam Effigiem non imprimis eruendam censeret ac vellet. Et admotae statim secures ac vis hominum, quanta fuit, maxima; sed frustra. Cum ecce, ingruentibus jam jam ignibus, quidam spectatae probitatis Sacerdos, nec is

Multa hic praeterea cernes anathemata: Testes
Grati animi in Jesum, grati animi in Superos.
His ego certatim gratus quoque nostra jugarem,
Si mihi tam praestans arca, penuque foret.
Haud tamen erubeo, tenui si munere magnum
Pectoris exigui prosequar hic Dominum.
At Tu, qui tantis dederas jam impendia rebus,
Quanta Matthaee Tibi munera Diva dabit?
Nulla equidem satis hic, quantum reor, illa reponet,
Scilicet in supera Sede reposta manent.
Et juvat haec aliis temptis ambire Matthaeum,
In terris cui erat nulla corona satis.

adeo firmi roboris, grande illud pondus solus evulserit, levaverit, solusque in interius Templi vestibulum humeris suis deportaverit, rem prodigii locô, qui aderant, habentibûs. Perstitit eo loci diu sacerrima Effigies, Araeque principis vices obtinuit, donec instauratô jam Templô, paratôque ad id Altari magnifico per Rndissmum MATTHAEUM Generalem Praepositum, incredibili hominum frequentia, cultu, ac pietate in pristinam sedem, summa omnium religione ac lacrymis illata est Anno MDCCLXX. Die 20. Maji. *Confer Concionem sacram Joannis Cantii Laskiewicz Custodis Miechoviensis, quam occasione ejusdem Translationis habuit, Typisque vulgavit Cracoviae; Ubi & de gratiis obtentis ad hanc venerandam Effigiem, uberius agit.*

